stratum, nisi horridum sterquilinium? Ad haec Dominus, non est, inquit, servus major Domino suo, neque discipulus super magistrum, neque apostolus major eo qui misit illum. Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo haec et majora his passus sum, et vos eadem passione armamini. Advena ego fui in terra hac, et peregrinus, et quando primo die de mari divinae profunditatis et de navicula uteri virginalis ad hanc terram descendi, non in triclinio, sed in stabulo foetido, in diversorio inquieto, in pandochio defectuoso fui susceptus: nec in molli lectulo, sed in praesepio duro stravit mihi mater mea dulcissima, et inter bestias collocavit, quia alias non erat mihi locus in diversorio. In tota vita mea propriam mansionem non habui in terra hac: quia in propria quidem veni, sed mei me non receperunt. Inquilini enim domus meae sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum, Job. 19. In hac terra vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; filius autem hominis non habuit ubi caput suum reclinaret. Si quidem non sub murata testudine, sed in monte sub divo frequenter eram per noctes in oratione. Denique in opulenta et regali civitate Jerusalem non habui stratum, nisi ignominiosum crucis patibulum, nec habui proprium sed alienum post mortem sepulchrum. Sic enim oportuit filium hominis (**76 A**) pati, et ita intrare in gloriam suam. Non ergo dilecte peregrine sit tibi molestum, si in terra hac non habes molle lectisternium, si locaris in sterquilinium, si hospitaris in sentina immunditiarum. Recordare quod Dominus suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat. Sic David existens juxta de post foetantes accepit eum et regem Jsrael constituit. Inclytus Job depauperatus et ulcere pessimo percussus sedit in sterquilinio, et sua patientia duplicia promeruit. In sterquilinio enim dicit Gregorius super Job latet margarita Dei, scilicet cognitio propriae vilitatis, et abnegatio paupertatis. Hanc margaritam tu peregrine quaere, sedens in sterquilinio. His auditis devotus peregrinus gratias agit, pro eo quod dignus est habitus esse imitator sui Domini. Igitur in loco turpitudinis existentibus venerunt Sarraceni pauperes et

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;